

Johann Cothmann Hilmar Dralle

Disputatio Theologica, De Scriptura Sacra

Rostochi[i]: Pedanus, 1634

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739730835>

Druck Freier  Zugang



Kont.: H. Dralle

J. Cothmann fa
R. U. theol. 1634.

DISPUTATIO THEOLOGICA,
De
SCRIPTU-
RA SACRA

Quam
Spiritus Sancti, utpote verbi divini
auctoris, auspicio

P R Æ S I D E

JOHANNES COTHMANNO,
S. S. Theologiæ Licentiato &
Professore Publico.

*addvāpū defendendam suscipiet 12. Maij.
hora & loco consuetis*

HILMARUS DRALLE, Lu-
næburgensis.



ROSTOCHI,
Litteris JOACHIMI PEDANI, Acad. Typog.
ANNO M. DC. XXXIV.



*Viris admodum Reverendis Clarissi-
mis & Doctissimis*

Dn. JOHANNI BURMEISTERO,
Ducatûs Saxonîæ inferioris superin-
tendenti Generali dignissimo, Consistorij Aulici Af-
fessori spectatissimo, & Ecclesiastæ apud Lau-
wenburgenses vigilantissimo:

Dn. M. CHRISTOPHORO FRICCIO,
Superintendenti Districtûs in Ducatu Lunæ-
burgensi VVinsensis Speciali clarissimo, & Sym-
mystæ apud Bardovicenses men-
tissimo.

Dn. JACOBO MARCHIONI,
Ecclesiæ, quæ Lauwenburgi colligitur,
Diacono fidelissimo,

*In honoris & observantiæ, Texnicæ
hanc diocesi Theologicam offero
& dedico*



Respondens:



Job. 5. v. 39.

ἔρευνᾶτε τὰς θάλασσας ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε ἐν αἰσῶσι ζωῶν
αἰώνιον ἔχειν καὶ ἐκείναι εἰσιν αἱ καρτερῆσαι
περὶ ἐμῶς

THESIS I.



Augustini fertur votum fu-
isse quotidianum: *Domine da mihi nosse
te, ac nosse me.* Utrumq; verò rectè sine
revelatione fieri nequit. In natura
quidem Deus aliquam sui notitiam no-
bis reliquit, adèd ut teste Apostolo *γνωσὸν τῷ θεῷ* in no-
bis etiam ex creatione mundi patefcat. *Rom. 1. v. 19.*
verum naturalis illa notitia ad salutis æternæ acqui-
sitionem non sufficit: cum tantum quod Deus sit; non
verò quid sit, indicet. Salutaris itaq; necessum est ac-
cedat notitia, qua non solum esse Deum docemur; sed
etiam quid sit, & quomodo sese revelarit, discimus.

II.

Revelatio illa salutaris sive salvifica à parte Dei con-
siderata nihil aliud est quam verbum Dei in veteri Te-
stamento per prophetas & Sanctos Dei homines *Jac. 5.
v. 10. 2. Pet. 1. v. 21.* in Novo vero per Evangelistas &
Apostolos immediato Spiritus S. impulsu patefactum.

eo fine ut inde voluntas Divina nobis reveletur, qua cognita tandem vitæ æternæ hæredes simus. *Joh. 20. v. 31.*
2. *Tim. 3. v. 15.*

III.

Scriptura hæc Sacra Deum ipsum habens auctorem. *Esa. 58. v. 14. Ezech. 13. v. 1. e. 25. v. 1. 2. Tim. 3. v. 16. 1. Cor. 2. v. 13, 1. Thes. 2. v. 13.* non obiter & incidenter, sed singulari Dei consilio Scripta fuit, ut esset Canon & regula rerum credendarum unica. *Gal. 6. v. 16. Phil. 3. v. 16. 2. Cor. 10. v. 13.* cui nisi actiones nostras conformaverimus, non erit nobis matutina lux *Esa. 8. v. 20.*

IV.

Illud verò Scripturæ encomium non omnibus veteris Testamenti libris indifferenter tribuendum. Discrimen enim librorum Canonicorum & Apocryphorum accuratè est observandum. Apocryphi Vet. Test. libri, utiliter quidem ad ædificationem & informationem populi: non verò ad confirmationem fidei leguntur.

V.

Quotquot autem Vet. Test. libri idiomate populo Dei proprio à prophetis conscripti, nihil scripturis indubitato Canonicis adversum sive contrariū continent. Quiq; insuper abstrusissimis mysterijs, ac vaticinijs merè divinis eorumq; complementis, tum & miraculis referti &c. citra controversiam Canonici censendi. Qui verò libri alio idiomate populo Dei non usitato, à viris prophetis contradistinctis, exarati sunt, ita ut quædam Scripturis sine controversia Canonicis adversentur, &c. illi malè scriptis annumerantur. *θεοῦ πνεύματος κτλ.*
αἱ εἰς πνεύματος.

VI. Lig.

VI.

Libros quod attinet Testamenti Novi licet à nonnullis illorum quidam inter Apocryphorum censum referantur; accipimus tamen illud de auctore secundo, cujus respectu quosdam occultæ originis libros fuisse largimur. Auctoritatem aliàs quod concernit, sive auctorem primarium, illum Spir. S. fuisse, eaq; consideratione omnes Nov. Test. libros Canonicis scriptis accensendos esse, cum plerisq; hodierni ævi Theologis affirmamus. Sive enim illorum librorum omnium, majestatem. sive materiam & cum alijs scripturis divinis harmoniam consideremus, nihil in ijs à canonicâ veritate auctoritateq; alienum deprehendimus; quod penitus libros illos expendenti patebit.

VII.

Quando verò libros quosdam Testamenti veteris, ac omnes Novi canonicos esse pronunciamus, id tamen de versione vulgata à concilio Trident. Canonisatâ nequaquam intellectum cupimus. Non enim est scriptum aliquod *θεός η̄ υεὸς* prophetam aut Evangelistam aliquem auctorem secundarium habens. Præterea nulla versio qua talis est Canonica. Eo ipso enim quia est versio, regulatum ac normatum est: Ergò non est norma & regula. Et quemadmodum nullus rivulus est fons: ita nulla versio, tanquam rivulus, est canonica. Manet itaq; verum, textum solum authenticum, utpote in V. T. Hebr. in N. Græcum esse Canonicum.

VIII.

Illud verò afferentes translationes Bibliorum in linguas vernaculas nequaquam improbandas esse, cum *Beilar. Libr. 2. de verb. Dei cap. 15.* judicamus. Si enim

Iuxta Christi mandatum scripturas scrutari debemus
Job. 5. v. 39. utiq; in linguas vulgò notas transferendæ
sunt. Aliàs si vim vocis nesciero, quid mihi scriptu-
rarum lectio proderit confer. *1. Cor. 14. v. 6. & seqq.*

IX.

Nec est ut cum Bellar. quis obijciat, Laicos ut vo-
cantur à Scripturarum lectione arcendos esse; nam il-
lud falsissimum esse, vel solum arguit Berrhoënsium,
sollicitè scripturas Sacras legentium, ac conciones Pau-
linas cum prophetarum oraculis conferentium exem-
plum *Act. 17. v. 11.* Quod ergò licuit Berrhoënsibus imò
quod magis est, in illis laudatur; id utiq; hodie in lai-
cis culpari perse non debet. Quamvis enim ex acci-
denti lectio Bibliorum Laico noceret, quod Bellar. lo-
co allegato obijcit; illud tamen rem ipsam non tollit.
Abusus ergò tollatur & verus usus maneat. Sermo i-
taq; Christi & inter ipsos laicos opulentè habitet *Col. 3.*
v. 16. nec volumen legis ab ore eorum recedat, sed me-
ditentur in eo diebus ac noctibus *Jos. 1. v. 8. Deut.*
17. v. 18.

X.

Scriptura verò Sacra, quam & laicis legendam esse,
utpote & illis inscriptam *1. Cor. 1. v. 2. Rom. 1. v. 7. 1. Job.*
2. v. 12. 13. 14. auctoritatem suam absolutam & intrinse-
cam ab ipso habet auctore Spir. S. qui in cordibus fide-
lium suo eam confirmat testimonio. Quemadmodum
igitur regum deplomata auctoritatem ab ipsis obtinent
regibus. ita Scriptura Sacra quæ est epistola omnipo-
tentis Dei à rege regum & Domino Dominantium *1. Tim.*
6. v. 15. habet auctoritatem. Nihil enim quod merè di-
vinum

vinum est, auctoritatem ab homine accipere potest, tanquam se longè inferiore, *Joh. 5. v. 34.*

XI.

Quod dum asserimus testimonium Ecclesiæ primitivæ ipsa Apostolorum *ἀποστόλων* videntis, non rejicimus. Licet enim verbum Dei sit fidei nostræ principium unicum, summum & necessarium *Esa. 8. v. 20. Luc. 16. v. 29. Act. 26. v. 22.* externè tamen Ecclesia de auctoritate illa divina testari potest; quamvis talis Ecclesiæ testificatio, nec solum nec sufficiens asserendæ scripturæ auctoritatis sit principium.

XII.

Porrò verbum hoc Dei in ijs quæ fidem & salutem nostram spectant, si non ubiq; talem alicubi in perspicuum est ac clarum, ut cum *Davide ex Psal. 119. v. 195. & Petro ex 2. Epistola. c. 1. v. 19.* illud lucernæ in loco obscuro apparenti comparemus. conf. *Prov. 6. v. 23.* Nec immerito Præceptum enim Domini lucidū est oculos nostros illuminans *Psal. 19. v. 9.* & Evangelium est lumen gloriæ Christi *2. Cor. 4. v. 4.*

XIII.

Quæ ut & similia loca alia, absit ut cum *Bellar. Lib. 3. de Interpretat. cap. 2.* hoc pacto explicemus Scripturam Scil. Sacram esse lucidam & claram; non quia facile intelligatur, sed quia intellecta illuminet, & Christum qui est verus Sol justitiæ ostendat. Nam primò voces lucernæ, lucis, luminis &c. explicationem illam respuunt. Lucerna enim semper in se lucida est; quamvis homini ebrioso, aut alij vitio oculorum laboranti
non

non luceat. Sol in & per se lucidus est; licet oculos
Cœci Bartimæi *Mar. 10. v. 46.* non collustrat. Non i-
taq; Scriptura intellecta illuminat, (nisi contra omnem
rationem effectum suæ causæ causam esse asserere libet)
sed quia lux, lucerna & lumen est, ideo illuminat. Dein-
de si ratio Bellarminiana vera & sufficiens esset, obscu-
rissima quævis ænigmata & Sybillarum vaticinia,
clara & perspicua forent. Illa enim intellecta mentem
illustrant.

XIV.

Quamvis autem nonnulla scripturæ effata legen-
tem exerceant. Juxta Augustinum enim Deus dictis
obscurioribus fastidio, clarioribus fami occurrere vo-
luit. Hinc tamen ipsa Scripturæ elementa fideiq; no-
stræ articuli in ipsis sedibus, ubi vis locorum male ob-
scuritatis arguuntur. Nam à particulari fit illatio:
Quædam scripturæ loca sunt intellectu difficilia. Er-
go dogmata ad Salutem Scitu necessaria sunt obscura.

XV.

Et si quæ in Scripturæ oraculis *καθ' ἑμᾶς* est obscu-
ritas illa 1. locorum paralelorum collatione. 2. antece-
dentium & consequentium, ut & ipsius Scopiac totius
contextus consideratione. 3. textus authentici inspe-
ctione. ac 4. analogiæ fidei trutinatione tollenda est.
Spiritus S. enim in & cum Scripturâ nobiscum loquens,
optimus sui ipsius interpret est. Hinc interpretatio
quæ in Scriptura non habet fundamentum, eadem faci-
litate rejicitur qua asseritur.

XVI. Non

XVI.

Non itaq; opus est in exortis dubijs ad Serinium pectoris Papalis recurrere, ibidem veram Scripturam interpretandi rationem inquirere. Scriptura enim seipsam exponit. Quod Christus suo nos docuit exemplo; ille enim discipulis suis Scripturam expositurus *Luc. 24. v. 27.* exorsus est à Mose & omnibus prophetis. Philippus *Act. 8. v. 35.* præfecto reginæ Candaces verbum Dei explicans incepit à Scriptura illiq; hoc modo prædicavit Jesum.

XVII.

Quamvis verò in Testamento veteri ut *Ex. 18. v. 15.* Moses & summus Sacerdos *Deut. 17. v. 8. & seqq.* lites exortes diremerint. Hinc tamen minimè sequetur eodem modo id hodie per Papam Romanum fieri debere. A Mose enim & summo veteris testamenti pontifice, ad Papam Romanum argumentari, est funem ex arena texere. Primò enim Moses immediatè à Deo vocatus *Ex. 3. v. 10. & seqq.* non verò papa. Deinde Moses directam habuit potestatem politicam, ut constat. Papa verò indirectam sibi potestatem tantum arrogat ut ex *Bellar. Lib. 1. de pontif. Rom. cap. 7. & seqq.* patet. Tertio Moses prophetam egit, qui cum Jehova singulariter locutus est, adeo ut post illum non surrexerit tantus propheta *Deut. 34. v. 10.* quod itidem elogium Papæ quadrare nequit.

XVIII.

Summum quod attinet veteris Testamenti Pontificem & ille à Deo vocatus *Ex. 28. v. 1. & seqq. 2.* typus fuit non pontificis Romani sed ipsius Christi *Hebr. 3. v. 23. 24.* Nulla itaq; firma ab illo ad Papam Romanum

B

num

num est sequela. Accedit insuper Vet. Test. pontifi-
cem potestatem decernendi habuisse non absolutam,
sed limitibus verbi divini inclusam ut ex *Deut. 17. v. 17.*
videre est. Et licet *Bellar. Lib. 3. de verb. Dei cap. 4.* ver-
ba illa non conditionem, sed assertionem sive promif-
sionem continere dicat; principium tamen petit. Nam
exempla Aronis *Ex. 32. v. 2.* Sacerdotum *Jer. 2. v. 26.* ac
ipsius Cajaphæ *Matth. 26. v. 65.* contrarium testantur. conf.
Mal. 2. v. 7. 8. Soph. 3. v. 4.

XIX.

Manet itaq; Thesis nostra; Scil. non papam Roma-
num legitimum esse controversiarum judicem, sed i-
psam potius Spiritum Sanctum in cum & per scriptu-
ram nobiscum loquentem. Nam quomodo ille pos-
set esse iudex, qui à nobis accusatur. hæreseos & rei par-
tes sustinet? E contra. Scriptura Sacra, sive Spiritus
Sanctus per Scripturam loquens iudicis fungitur offi-
cio. Ille enim voce legis arguit mundum de peccato
Job. 16. v. 8. Et in extremo die sermo quem Christus lo-
cutus est, mundum iudicabit *Job. 12. v. 47.* conf. *Rom. 2.*
v. 16. si itaq; Scriptura Sacra erit vox iudicis in extremo
die, sequitur indubiè eandem vocem esse iudicis in hoc
mundo. Nam qualis est executio tale est quoq; decre-
tum, & vice versa. Hinc Scriptura Sacra dicitur *λογος*
κριτικὸς *Hebr. 4. v. 12.* unde omnes exortæ controversiæ
sunt decisæ, quod inductione si opus esset probatu non
esset difficile vide loca *Luc. 4. v. 17, 18.* *Matth. 22. v. 23, 6, 12.*
v. 3. *Job. 1. v. 22.* & *passim.*

XX.

Ulterius idem probari potest ex loco insigni *Esa. 8.*

v. 20.

¶ 20. ubi exorta quæstione unde veritas sit sciscitanda?
Jehova ipse respondet; ad legem & ad testimonium,
quod si non dixerint juxta verbū hoc non erit eis ma-
rutina lux. Recte itaq; Dn. D. Heilbr. in *colloq. Ratispon.*
p. 35. ex hoc loco colligit: Id tantum pro norma est ac-
cipiendum, ad quod Deus ipse nos ablegavit. Deus
ipse ad legem & testimonium nos ablegavit, in rebus
ad religionem & cultum pertinentibus. Ergo lex &
testimonium est norma religionis Unica. Quod con-
siderans Constantinus Magnus Scripturam Sacram e-
amq; solam in controversia Arriana decidenda judicem
constituit. Annotante enim *Theodor. Lib. 1. cap. 7.* E-
vangelici inquit & Apostolici libri, nec non antiquo-
rum prophetarum oracula planè instruunt nos sensu
numinis. Proinde hostili posita discordia, sumamus
ex dictis divini Spiritus explicationes quæstio-
num.

XXI.

Cum itaq; Scriptura Sacra incidentium litium i-
psam religionem spectantium judex sit, perfectam eam
esse ac sufficientem rerum credendarum regulam conse-
quitur. Scripturæ verò perfectio non in librorum Bi-
blicorum numero, sed articulorum fidei nostræ ad sa-
lutem Scitu necessariorum catalogo consistit. Licet
itaq; multi libri verè sacri & canonici periissent, quod
contendit *Bellar. Lib. 4. de verb. Dei cap. 4.* hinc tamen,
minimè concluditur, quosdam fidei nostræ articulos
interiisse.

XXII.

Perfectam itaq; dicimus Scripturam Sacram cum
regio vate ex *Psal. 19. v. 8.* quia nos ad vitam æternam

perfectè informare potest. *Joh. 20. v. 31. 2. Tim. 3. v. 16.*
Quamvis ergò sufficientem sive perfectam scripturam
esse non affirmemus, respectu omnium concionum à
Christo & Apostolis habitatum conf. *Joh. 7. v. 14. c. 8. v.*
2. Act. 2. v. 40. tum & miraculorum omnium editorum
Joh. 20. v. 30. juxta Augustinum enim *Tract. 49.* in Joh.
electa sunt, quæ scriberentur quæ saluti credentium
sufficere videbantur. Est tamen perfecta, quia viam
salutis perfectè monstrat. *Luc. 16. v. 29.* Diviti enim e-
puloni de fratrum suorum salute sollicito respondetur :
habent Moſen & Prophetas audiant illos. Si itaq; Mo-
ſes & prophetæ ad salutem acquirendam sufficiunt scri-
pta utiq; Mosaica & prophetica erunt hoc respectu
perfecta. At prius est vi loci allegati. Ergo.

XXIII.

Quando verò Bellar. Scripturam eo modo perfe-
ctam esse ait quia multa expressè contineat, & quæ non
habet, unde petenda sint ostendat, in eo principium pe-
tit; est enim hoc *Ἰσχυρὸν μὲν οὐκ* an Scil. Scriptura non o-
mnia ad salutem necessaria contineat, quod nos Scri-
ptura prævia affirmamus. Bellar. verò contra scriptu-
ram negat.

XXIV.

Stante hac theſi, quid de Traditionibus (quas
Concil. Trident. Sess. 4. pari pietatis affectu ac reverentiâ
ſuſcipiendas ac venerandas docet) habendum, ſua jam
ſponte liquet. Quamvis enim traditiones Apostolicas
ante constitutum & conſcriptum canonem viva voce
traditas & poſtea literis conſignatas non negemus
vide.

vide 1. *Cor.* 11. v. 23. c. 15. v. 3. *Luc.* 1. v. 2. neq; traditiones
rituum 1. *Cor.* 11. v. 24. impugnemus; negamus tamen
constanter post constitutum Canonem traditiones esse
dogmatum ad salutem scitu necessariorum inq; Sacris
litteris non contentorum. Apostoli enim non super-
fugerunt quò minus omne Dei consilium de salute no-
stra nobis annunciaverint *Act.* 20. v. 27. & anathema di-
cunt si quis aliam doctrinam præter illam quam per
manus eorum accepimus prædicaverint *Gal.* 1. v. 8. 9.
Et Christus ipse omnia quæ audivit à patre. nota nobis
fecit. *Joh.* 15. v. 15.

XXV.

Quæ loca cum Pistorio Bellarmino alijsq; non de
verbo prædicato solum, sed & scripto intelliguntur.
Nam Apostoli. eadem quæ viva voce proposuerunt
postmodum scripserunt; quemadmodum id expressis
verbis innuit Johannes 1. *Epl.* c. 1. v. 3. 4. quod vidimus
audivimus annuntiamus vobis: καὶ τὰ ὅρα (non ἐνεργ)
καὶ φημεν ὑμῖν & hæc ipsa Scribimus vobis. Non itaq;
invicem opponi debent: verbum prædicatum & scri-
ptum, sive enim Scribatur, sive legatur, audiatur, est
& manet Dei verbum, nec accidens prædicandi, legendi
Scribendi &c. Verbi divini mutat substantiam. Hinc
ἰσοδυναμεῖται sunt: ut impleretur quod dictum *Matt.*
1. v. 22. c. 2. v. 15. & quod Scriptum c. 4. v. 4. 7. 10. *Marc.* 15.
v. 27. Item legere ac audire, Scripturam pari sensu dici-
tur. *Luc.* 16. v. 29. *Act.* 13. v. 27.

XXVI.

Argumenta quibus traditionibus suis fidem facere:
B 3; labo-

laborant *Bellar.* & alij, ipsi conflictui reservabimus. In genere id notamus traditiones Scripturæ ac fidei analogiæ non repugnantes, sed ad amissim consentientes esse recipiendas. Dissidentes verò cum Scripturæ Canone, ac doctrina prophetica & Apostolica, esse reiiciendas. Nam ut Hieron. rectè inquit: quicquid de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Nos hîc concludentes patri misericordiarum devotas agimus gratias, quod voluntatem suam, cum legalem tum Evangelicam, verbo patefacere nobis miscellis homuncionibus ex gratia voluit. Eundem supplices veneramus, thesaurum hunc ad seram si quæ futura est posteritatem conservare dignetur, ut cognita divina voluntate, eandem hîc implere incipiamus, ac tandem in omnem æternitatem perficiamus
Amen.

Joh. 17. v. 17.

ἁγιάσον αὐτὰς ἐν τῇ ἀληθείᾳ σα ἡ λόγος ὁ αἰς
ἀλήθειά ἐστίν



Ad

*Ad. Dn. Respondentem, candidum
Amicum.*

Divini verbi, veuerando praeside Coth-
man,
Pro majestate ac splendore capessis ho-
nestum

Certamen, Dralli? Sanctissima Biblia, verum
Principium primum, *Canonem* rectum, atq; *Lu-
cernam*

Splendentem esse probas? Eadem Fidei atq;
Saluti

Sufficere? *Hebraica* & *Graca* esse *Authentica*. di-
cis?

Persta, Hilmare, Virum praesta, non falsa tueris,
Pro vero certas, & vera probas; Duce Cothman
Armatus Verbo; cum Numine, Victor abibis.

HENRICUS WROCCIUS,
*Schola Rostochiana collega
classicus.*

In cursu tua Verba licet, fortissime Jova,
Cornigeri catus, tamen illa immota manebunt:
Obscurent tua Verba licet, tenebrisq; coarctent.
Lucis fugi catus, nil non ea lucis habebunt.

Ob.

Obturent ad Verba licet tua firmissis aures
Heretici, poterit tibi nemo impunis abire:
Incrustent sua scripta licet, fingantq, veneno
Papicola, nihil his te contra audere valebunt.
Usq; adeo Jovæ sunt arx firmissima Verba!
Ut, licet innumero numerum jungantur in unum,
Haud valeant hostes apicem tetigisse supremum.
Ergo tibi generosa sedet sententia menti
Hilmare Uranici miles spectate theatri,
Qui bene munitam simul hanc contendis ad arcem,
Subsidiumq, petis. Faxit bonus ille, sacro
Cujus es indutus clypeo, pro cuius honore
Arma capis, Verbi arma Dei, quod aminus hostes
Propulses Verbo, Verbi sacra scripta tuendo.

f.
Casparus Movius,
Leontino Marchic.





*Ad. Dn. Respondentem, candidum
Amicum.*

Divini verbi, veverando praesentia
manu,
Pro majestate ac splendore canonicum
nestum

Certamen, Dralli? Sanctissima Bibliopoli
Principium primum, Canonem rectum
cernam

Splendentem esse probas? Eadem
Saluti

Sufficere? Hebraica & Graeca esse Autographis?

Perfata, Hilmare, Virum praesta, non facta
Pro vero certas, & vera probas; Duce
Armatus Verbo, cum Numine, Victore

HENRICUS WROCLAVIENSIS
*Scholaris Rostochianus
classicus*



In cursu tua Verba licet, fortissime
Cornigeri catus, tamen illa immota
Obscurent tua Verba licet, tenebrisque
Lucis fugi catus, nil non ea lucis habebunt

